

ad Rectum quam proximè accedat, atq; ita ei fiat similimus: aut etiam Rectus nonnunquam videatur Obtusus vel Acutus. Eos Angulos dico Dubios. Ut autem eos probè dignoscas: divide latus Angulo illi dubio oppositum, quod in opposito schemate iterum sit AB bifariam in C & ex C distantia CA vel CB describe semicirculum ADB . Si itaq; angulus ille dubius intra semicirculum inciderit, ita ut semicirculum non attingat, quod accidit angulo H in Triangulo AHB , indicium est eum esse Obtusum: si in ipsum semicirculi ambitum, quod accidit angulis D & E in Triangulis ADB & AEB , concludes eos esse Rectos. Si deniq; dubius angulus extra Semicirculum excurrerit ita, ut crura ejus semicirculum secent, dices angulum dubium esse acutum. Talis est angulus F in Triangulo AFB .

CAPUT VII.

De

SECTIONIBUS PARTIUM TRIANGULARIUM varijs.

HÆc fuit recensio & Partium Triangularium, ipsorumq; adeò Triangulorum: operæ precium fuerit porrò videre quomodo & hoc & illa secantur, invicem comparentur, & Circulo adscripta se habeant.

1. De Angulorum Partitionibus.

Anguli Triangulorum aut dividuntur bivariam, aut quomodocunq;

Illud docebunt Problemata II. sequentia.

PROBL. I. Angulum datum bisecare.

E 2

Sit an-